Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26359
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quo temporalibus: solo deo fruendum. Deus enim amandus est propter se. cetera
omnia propter aliud. id est deum. Isti est enim. assumere aliquid in faculta
tem voluntatis: frui est autem. uti cum gaudio non adhuc spei. sed iam
rei. Proinde omnis qui fruitur. utitur. Assumit enim aliquid in facul
tatem voluntatis cum fine delectationis: non autem omnis qui utitur.
fruitur. sed id quod in facultatem voluntatis assumit. non propter il
lud ipsum. sed propter aliud appetivit. Iste usus attenditur: cum non
tantum quid meminerit et quid intelligat queritur. verum etiam
quid velit queritur: non quanta flagrantia velit. sed quid velit prius. de
inde quantum velit. In primo igitur horum trium cognoscitur indoles hominis.
id est ingenium quod est potentia retinendi memoriter. intelligendi.
volendi. in secundo scientia que dividitur in sapientiam et eam que specia
liter appellatur scientia. In tertio usus et fructus. id est amor desi
derans bonum. et amor bono fruens: quibus intelligitur eterne ve
ritatis karitas. et gaudium de ea. karitas nempe est pondus. id est im
petus spiritus et voluntatis quo tendit anima iusta. ad ordinem et lo
cum suum: qui locus non est aliquis quam frui summo bono. id est gaudere de
veritate et plene delectari in domino. Quo cum pervenerit iusta vo
luntas. bono usu amoris. ordinatur feliciter et quiescit. ni
chil ultra appetendo. sed fruendo consummato et ob hoc beato
gaudio domini dei sui: que est eterna veritas. Ob hoc nimirum acce
pimus rationalem voluntatem: ut per rationem cognosceremus summum
bonum. per voluntatem amaremus illud et frueremur eo: in quo erimus
equales angelis: quem in equalitate suis dilectoribus promisit ve
ritas. XV. Quidam vero promittunt nobis. immo sibi. quod beati
ores angelis sint futuri: asserentes quod non solum per hoc quod creati sunt
ad imaginem dei visuri sunt deum. sicut angeli beati vident deum:
sed etiam per corporeos oculos in spirituali corpore. Quod si verum fuerit:
quia visio dei est cause rationalis beatitudo. sic plures habebunt
dei visiones. scilicet rationalem et corporalem: plures quoque ha
bebunt beatitudines quam angeli. Nam angeli per hoc solum quod